EXPOSITIO BREVIS, JURIS, SACRÆ REGIÆ MAJESTATI PRUSSIÆ, CIRCA TEMPLUM AD SIC DICTAM LINDAM MARIANAM, COMPETENTIS.

CUM ADJUNCTIS SUB *A.* ET *B.*

ANNO MDCCXXV.


Acra Regia Majeſtas Pruſſiæ firmiſſimè ſperaverat, ſingularem ſuam, data occaſione erga ſibi ſubditos, Religioni Romano-Catholicæ addictos, demonſtratam Clementiam, in ſpecie diutinam illam tolerantiam, quam Patribus Jeſuitis ita dictæ Lindæ Marianæ, nullô prorſus Jure ibi commorantibus, hactenus exhibuit, Regnum Poloniæ, Illuſtriſſimosque ejus Ordines commoturam, ut â violentâ in hôc Regno oppreſſione Proteſtantium, & injuſtiſſimis Templorum occluſionibus tandem abſtinerent, charitatemque, virtutem Chriſtiano nomine tam condignam, magis induerent, quâ de causâ etiam Sacra Regia Majeſtas Jus ſuum ex rebus judicatis quam validiſſimè quæſitum, quô ipſo ædem Lindanam Patribus Jeſuitis, jam ante

ante duodecim & quod excurrit annos, adimere potuisset, hanc usque in diem in efficaciam deducere noluit, ne, quamvis justissimè fieret, occasio quæpiam adversariis daretur, quo Protestantes in Polonia adhuc acerbius ab iis agitarentur.

Sed proh dolor! non sine ingenti animi dolore certior facta est, omnem hanc præcautionem sine effectu fuisse, & crudelem illum, sanguinemque sitientem spiritum persecutionis Cleri Romani animis ita penitus inolevisse, ut summum jam truculentiæ attigisse cacumen videatur, id quod vel ex detestabili & sanguinolenta, per machinationes Jesuitarum Thoruniensium, nuperrimè factâ executione innocentissimorum Protestantium, qua universum orbem ferè in admirationem & stuporem rapuerunt, in apricô positum est, manifestô documentô, quid, si occasio detur, isti in universos Protestantes

meditentur. Sacra Regia Majeſtas Pruſſiæ ergo nullô modo vituperari poterit, quod non ſolùm cum aliis exinde haud parum affectis Principibus Evangelicis, vigore Inſtrumentorum Pacis Olivienſis de iis remediis ſollicita erit, quibus tam injuſtè oppreſſis Proteſtantibus Evangelicis, obfirmato in utramque fortunam animo, ſubveniatur; minus ei vitio vertendum erit, quod in ſpecie omnem hactenus ex memoratâ piâ intentione erga Jeſuitas teſtatam tolerantiam penitus tollere, Juribusque ſuis omni meliori modô uti velit.

Quemadmodum autem ademptio ita dictæ Lindæ Marianæ eô maximè pertinet, & eâ de cauſa quoque S. R. Majeſtas Pruſſiæ illam partem terræ, quam hi, ſine omni ſpe boni exempli hactenus tolerati Jeſuitæ, absque ullô juris titulo multis abhinc annis uſurparunt, jam illis adimi, & Cameræ Regiæ Feudali adjudicari mandavit.

davit. Ideo hisce Literis, antequam ulterius progrediatur, & prædictas res judicatas penitus executioni mandet, cuivis notum facere voluit, S. R. Majeſtatem Pruſſiæ nihil amplius hâc in causâ facturam, quam quod ipſi de jure competat, & quod hactenus ex nullâ alia, quàm ſupra allata intentione, quæ tamen effectum ſuum ſortita non eſt, nec minus ob varias partim à S. R. Majeſtate Poloniæ, partim à Proceribus ejusdem Regni ad ipſam miſſas literas interceſſionales, quæ S. R. Majeſtati Pruſſiæ ſemper curæ, cordique fuêre, omiſerit.

Illa ergo ex prævià ſeria partium controverſia, plenariaque cauſæ diſcusſione à Commiſſariis pronunciata Sententia de die 11. Octobr. 1708. in adjuncto ſub A. ad oculum demonſtrat, ſacellum Lindanum juxta tenorem Literarum primordialium ſummi Ordinis magiſtri Hermanni

de Tieffen de Ao. 1491. quas memorati Jesuitæ ad Acta retulêre, ad nullum alium, quam Dominos Prussiæ ejus temporis h. e. ad ordinem Teutonicum pertinuisse, hunc etiam & nullum alium ibidem sacerdotem constituisse, porro primo acquirenti Joanni Langerbeinio, ratione agri, quem Jesuitæ Lindani nunc tenent, nihil amplius, quam unum mansum cauponæ addictum, propè sacellum unà cum horto, in præfecturâ Rastenburgensi & duos mansos sylvæ, in præfecturâ Sehestensi, Jure Culmensi concessos fuisse. Quemadmodum ergo ipsi nullum unquam Jus, sacellum ibi habendi, vel alia unquam Jurisdictio in illud tradita est, ita potius in Literis primordialibus, ipsi injunctum est, sacerdoti Ordinis Teutonici annuatim bonam marcam monetæ Prutenicæ, & in casum ibi non existentis sacerdotis dicti ordinis Teutonici, Canonem illum præfecturæ Rastenburgensi exsolvere. His

His ita pro fundamento poſitis in aprico eſt, memoratum Langerbeinium nullum pinguius jus, ſecundum notorium Brocardicum juris: Non plus juris quis in alium transferre poteſt, quam ipſe habet, in Capitaneum & Conſiliarium terreſtrem de Grœben conferre potuiſſe, quam ipſemet ex literis primordialibus habuit, neque prædictum de Grœben poſtea Jus ſuum Secretario Regio Polonico Sadorski, partim permutatione cum aliâ caupona in Epiſcopatu Warmiæ ſitâ, partim acceptatione 300. flor. polonicorum pro manſo aliter cedere potuiſſe, quam literæ primordiales demonſtrant. Quando igitur prædictus de Grœben ſecundum tenorem Contractuum emptionis & permutationis de ao. 1617. & 1619. quos Jeſuitæ produxêre, ſacellum Lindanum in præfatum Sadorskium etiam transferre voluit, illud ipſum à non Domino factum, & per conſequens

ſequens ipſo jure nullum eſt. Jeſuitæ, qui jam jam ſacellum hoc tenent, nullum alium titulum allegare valent, quam Ceſſionem quandam Capituli Warmienſis, quod Capitulum autem nullum aliud Jus, quam donationem prædicti Secretarii Sadorski nominare poteſt; Quemadmodum igitur à Capitulo Warmienſi nullum pinguius Jus adduci poteſt, quàm quod ipſe Sadorski habuit, ita quoque decurſus temporis, durante quô ſacellum hoc, nullô prorſus jure Jeſuitæ ad ſe trahere anniſi ſunt, illos nullo modo juvare valet, quod jure meritoque hic dici poſſit: Quod ab initio fuit vitioſum, tractu temporis convaleſcere nequit. Quare omne illud, quod à Sadorskio, ejusque Ceſſionariis, ratione hujus Sacelli propriâ autoritate factum eſt, nullius valoris eſſe poteſt, ſed hoc ſacellum, quemadmodum illud antea apud Ordinem Teutonicum perpetuò manſit, ita

etiam

etiam ad succedentes Dominos Prussiæ, in summâ perfectione ubique & in omnibus devolutum est, insequenter autem nemo alius, multò minus illi clàm postea advenientes Jesuitæ illud propitiô jure occupare, & absque speciali consensu Serenissimi quicquam ibidem tam ratione ædificiorum apud sacellum Lindanum, quàm institutionis cultus divini immutare, nec sacerdotem ibidem constituere, vel plures agros, imò alia pinguiora jura, quàm in Literis primordialibus continentur, prætendere potuerunt.

Nec obstat, quod Jesuitæ præcipuè in actis allegare voluerint, donationem sacelli hujus à Secretario Sadorski, Capitulo Warmiensi factam per Consiliarios Regiminis Prussiæ ao. 1636. confirmatam esse. Nam præterea, quod allegatæ hujus confirmationis nunquam adhucautographum à Jesuitis productum fuerit, universa hæc

objectio à confirmatione , si qua illa in originali adhuc produci potest, de sumpta suâ levitate corruit, quanquam fortissimum illorum sit argumentum. Confirmationi etenim huic ob deducta , perpetuò vitium sub-& obreptionis, secundum notoria Juris obstabit, porro autem Consiliariis Regentibus Prussiæ nunquam integrum & liberum fuit, talia conspicua Jura Ecclesiastica , absque præscitu summi Regni Domini, ullo modo in alios conferre. Sententia Commissorialis in adjuncto sub A. omnia reliqua, quæ Jesuitæ pro defensione sua unquam allegare potuerunt, solidè, & sufficientissimè jam refutavit, idcirco superfluum esset, illa ipsa adhuc denuò adducere & crambem bis coctam apponere. Illud autem adhuc allegare operæ pretium esse videtur, quod, quamvis Jesuitæ eô tempore, quando causa cadebant, & illis sacellum Lindanum mediante

sen-

sententia adimebatur, ab hâc quidem sententia appellationem ad Judicium Regium Aulicum interposuerint, eisque non solum appellationem suam debitè prosequendi, libertas concessa, sed etiam Judicio aulico, speciali Rescripto injunctum fuerit, in causâ hac omnem sollicitudinem impendere, & ubique secundum normam juris & æquitatis procedere, quo S.R.M. Poloniæ, & reliqui Regni Proceres, qui literis intercessionalibus negotium hoc commendare volebant, effectum literarum suarum sentire possent; nihilominus supra allegata sententia Commissorialis per Justificatoriam Judicii aulici, in adjuncto sub B. ob merita causæ, & quod Judicium aulicum secundum acta & probata aliter sententiam ferre non potuerit, simpliciter per benè pronunciatum, confirmata sit.

Cum itaque Jesuitæ post causam pla-

nè perditam nullum aliud remedium juris suspensivum unquam adhibuerint, S. R. Majestati Prussiæ, juxta tenorem allegatarum rerum judicatarum Jus in continenti fuit:

1. Sacellum, vel potius jam vastum illud, & contra omne fas exstructum templum, unà cum reliquis templi ædificiis adimere, illud sacerdoti cuipiam secundum beneplacitum tradere, nec minus cum domo Jesuitarum, quæ ibidem sine ullo consensu extructa est, eôdem modô procedere, eamque ad alios usus destinare. Quem in finem etiam mediante Rescripto Regio jam jam prædictis Jesuitis ad rumationem, & quidem non solum templi, sed & aliorum ædificiorum, ac præcipuè domus eorundem certus terminus seriò præfixus est. Et quamvis

2. S. R. Majestas Prussiæ liberam facultatem Rever. Capitulo Warmiensi relinquat,

quat,

quat, duos illos manſos & 26. jugera, quæ in præfectura Raſtenburgenſi & Seheſtenſi ſita ſunt, & ad illud ex donatione Secretarii Sadorski tanquam bona Culmenſia pervenire potuerunt, ſalvô per omnia ſupremo Jure Territoriali ſupra dictæ S. R. M. Pruſſiæ, pro futuro poſſidendi, ita tamen ut quovis tempore onera territorialia aliaque ſolita præſtanda, item marcam illam bonam, vel in uſum ſacelli, vel etiam Præfecturæ Raſtenburgenſis pro beneplacito S. R. Majeſtatis perpetuò exſolvat, & de cœtero Literis privilegii primordialibus in omnibus ſeſe conformet. Non tamen ea Sacræ Regiæ Majeſtati mens eſt, ut putativi illi ceſſionarii Jeſuitæ diutius ibidem commorentur, cum nulla ratio illud ſuadere velit, & cuivis ſummo Imperanti, quemadmodum ex hiſtoriâ omnis ævi patet, Jus ſit, an tale hominum genus, quod ab ipſis Romano-Catholicæ Religioni ad-

dictis scriptoribus atro notatur lapillo, & quod perpetuis dissidiis & sanguinolentis consiliis scatet, in territoriô suô pati velit; eâ de causâ jam factum est, quod, quanquam ao. 1612. ad actum Immissionis piè defuncti Electoris Johannis Sigismundi in realem possessionem tunc temporis Ducatûs Prussiæ, delegati Commissarii Sacræ Regiæ Majestatis & inclytæ Reipublicæ Poloniæ, instanter urgerent, ut templo, dicto in anno, Regiomonte, in favorem Religionis Romano-Catholicæ, vi transactionis initæ, exstructo, unà cum parocho, Jesuitæ quoque præesse possent, ac in sequentibus temporibus idem postularetur, id tamen nunquam concessum, potius constanter denegatum fuerit, ne ex tali indultu Jesuitæ ansam arriperent Regni hujus viscera invadendi, & pro lubitu commorandi. Cui accedit, cessionem Rever. Capituli Warmiensis, pro titulô

pos-

possessionis, à Jesuitis allegatam, neque à Sacra Regia Majestate neque à Serenissimis ejus antecessoribus gloriosissimæ memoriæ unquam ratihabitam & confirmatam esse.

Meditentur ergo hi in termino ipsis præfixo abitum suum, rationes verò partim tanquam possessores vel quasi mansorum duorum, & 26. jugerum Langerbeiniorum, partim tanquam nudi ac injusti detentores de eô, quod ultra dictum agrum Langerbeinianum hactenus ab ipsis, absque ullo fundamento vel titulo occupatum fuit; in antecessum reddant. Siquidem

3. tanquam injusti detentores illorum trium mansorum & 10. jugerum, quæ ipsis jussu Regio die 24. Octobr. a. pr. jam adempta sunt, fructus perceptos & percipiendos, vigore prædictarum rerum judicatarum restituere omninò debent: quem in finem Sacra Regia Majestas Prussiæ quoque Præfecturæ Rastenburgensi mandabit,

dabit, ut illis prævio justo calculo certam summam exsolvendam indicet. Cogitent porrò

4. tanquam possessores vel quasi duorum mansorum & 26. jugerum, quæ ad sacellum Lindanum propriè spectant, & in quibus solum aliquantulum Juris allegare valuerunt, de restitutione illius bonæ marcæ pecuniæ secundum valorem tempore privilegii Langerbeinio dati, utpote quæ per tam longum tempus dictæ Præfecturæ Rastenburgensi sine omni causâ subterducta est. Cogitent denique


5. de omni illô accuratè præstando, quod iis in sententia Commissoriali tam ratione omnium insignium, in fundo alieno, idque partim Regio feudali, inque præjudicium Feudi attentatarum novationum & mutationum, quàm ratione destructionis omnium in detrimentum piscaturæ & Lacuum allatorum impedimentorum injunctum est, imò de reliquis illis exactè præstandis omnem operam navent, quæ in rebus judicatis pluribus allegantur.

Etsi verò S. R. Majestas in omnibus hisce nihil aliud statuat, quam quod ipsi legitimi juris tramite per res judicatas competat, & quòd benè sciat, se Decreti hujus causâ nulli alii quam Deo & conscientiæ propriæ rationes reddere debere, pro evitandâ tamen omni suspicione & ne astuta Jesuitarum manus huic vel illi justissimam decisionem pro interessata & violenta venditet, brevem hanc juris sui informationem S. R. Majestati & Serenissimæ Reipublicæ Poloniæ, cum quâ, ut in continuâ pace & quiete vivat, ardentissimè semper vovet, in antecessum communicare à scopo haud alienum credidit.

)o(

A.

Sententia in Causâ Commissoriali Patrum Societ. Jesu Lindensium, contra fratres de Grœben,



N Causâ Patrum Societatis Jesu, ad sic dictam Lindam Marianam commorantium, actorum & reconveniendo reorum, contra Ottonem Fridericum & Albertum Sigismundum, respectivè Capitaneum, Tribunum & Vice Tribunum, Fratres de Grœben, reos & reconveniendo Actores, nec non Henrici Wilhelmi de Grœben Tribuni, qui se ob eventualem in feudo Jesaviensi & Beslakensi successionem, reis ac reconveniendo actoribus associavit, pariter Parochi Ecclesiæ Beslackensis, qui se interveniendo processui huic immiscere voluit, accusata attentata, dubios & confusos agrorum fines, & alia in possessorio & petitorio secundum acta & actitata, ac utrinque à partibus insinuata documenta, concernentia, S. R. Majestatis Prussiæ ad hanc litem dati Commissarii sequentem in modum statuunt & decernunt;

Quemadmodum lites in negotiô finium regundorum & ratione adpertinentium omnium & singulorum,

ex Literis primordialibus, si quæ allegari possint, unanimi Jurium consensu decidi debent, hôc in casu verò tales literæ de Anno 1491. die divisionis Apostolorum, à Magistro Ordinis Teutonici, Hermanno de Tieffen, Johanni Langerbeinio concessæ reperiuntur, quas in Loco Protocolli actorum de 25. Febr. 1706. sub adjuncto F. invenire licet; Idcirco universa causa juxta literam hujus Concessionis primordialis, cui hactenus per nullam aliam derogatum est, necessariò dijudicanda venit, quâ de causâ illæ literæ primitivæ Langerbeinianæ pro unico verô fundamento & normâ omnium disceptationum, ratione finium & aliarum prætensionum circa sacellum Mariæ Lindensis eô ipso semel pro semper accipiuntur.

Quando igitur in memoratis literis primordialibus expresse dictum invenitur, quod Langerbeinio saltem unus mansus circa sacellum Lindanum, unà cum horto ad cauponam ibidem in Capitaneatu Rastenburgensi sitam, nec non duo mansi sylvæ in Capitaneatu Schestensi ab Ordine Teutonico concessi fuerint, qui tamen numerus trium mansorum (agri scilicet & sylvæ) Anno 1619. die 12. Aprilis per contractum inter Capitaneum Schakensem Ottonem de Grœben & Secretarium Regium Stephanum Sadorski, quem in Loco Protocolli actorum sub Lit. G. legere licet, ita diminutus est, ut octo jugera terris feudalibus Jesaviensibus Grœbenianis accreverint, hinc ex istis circumstantiis nihil amplius pro æde Lindana quam unicus mansus agri unà cum hortô

ad

ad cauponam Rastenburgensem, & duo mansi sylvæ in Capitaneatu Seheстensi, in summa tres mansi & hortus suprà dictus cauponæ Rastenburgensis, & quidem deductis adhuc octo jugeribus, quæ ob allegatum contractum ad Tribunum & Capitaneum Ottonem Fridericum de Grœben, ejusque bona Jesavienšia pertinent, propitio jure, imprimis cum actores ipsi fluctitent, & quandoque 4. mansos 13. jugera, mox quatuor & ½. mansos, mox quinque mansos se possidere declaraverint, peti possunt; Quare omne illud, quod præter illos paulò ante memoratos duos mansos & 22. jugera & quod præter hortum ad diversorium Rastenburgense pertinentem, à Regiô agrorum mensore Christiano Reimerô, præviâ legali juxta tenorem Rescriptorum Regiorum de die 23. & 26. Septembr. 1706. dimensione inventum fuit 3. nempe mansi & 14. jugera, apud S. R. Majestatem, Dominum nostrum Clementissimum, tanquam Dominum feudi directum plenô jure, & ad quemvis, secundum ipsius bene placitum, usum remanent, & in perpetuum remanere debent, idque ex hâc etiam stringentissimâ ratione, quod non solum è tractatu de Lindâ Marianâ depromptæ, & à parte actorea in contrarium productæ delineationes de Anno 1612. & de Anno 1624. illegales, interessatæ, & in absentiâ alterius partis confectæ sint, imò ob diversitatem manuum fraude non careant, sed etiàm ex Privilegio divi Alberti de Anno 1554. die 10. Julii intuitu agri Plözensis ad ædem Lindanam in nemore siti, Adriano Buchsio concessô, quod

ab actoribus ipsis Collationi actorum sub præs. de 10. Julii 1706. sub Lit. F. adjunctum, & pars actorum factum luculentissimè patescat, actores, quemadmodum illud ipsum quoquè in Collatione actorum ultrò fatentur, suprà dictum agrum Plözensem possidere, id verò sine ullo justo possessionis feudalis titulo. Apud sacellum ergo Lindanum unus mansus cum hortô diversorii 4. præter propter jugerum ex æquo & bono juxta proportionem unius illius mansi in Capitaneatu Rastenburgensi, & unus mansus 22. jugera sylvæ ceduæ in districtu Sehestensi, ex eô, quod octo jugera ad bona Jesaviensia pertineant, in summa duo mansi & 26. jugera (in quibus hortus diversorii Rastenburgensis quatuor jugerum jam comprehenditur) secundum literas primordiales in posterum uti anteà perpetuò manebunt, hique ad tollendas pro futurô dissidias à suprà nominato Regio finitore Reimero, non minus quam illa octo ad Jesaviensia bona spectantia jugera, ubique & accuratè juxta descriptionem finium, quam in adjuncto sub G. Actores in Loco Protocolli suppeditaverunt, à viâ publica usque ad Pilz, fluminis usque ad pontem, & lacum Denau, dimetiri debent: Reliqui 3. mansi & 10 jugera, & omne illud, quód præter prædictos duos mansos & 26. jugera adhuc per dimensionem fortè inventum fuerit, Cameræ regiæ feudali, ab injustis detentoribus unà cum fructibus perceptis & percipiendis, nisi S. R. Majestas hoc in passu ratione restitutionis fructuum gratiam pro meritô retribuere velit, in continenti restituendum est.

Quando

Quando etiam ex Actis adparet, limites ædis Lindanæ quatenus 8 jugera reorum attingunt, exinde in confusionem declinasse, quod Actores juxta propriam in Loco Protocolli de dato die 25. Februar. 1706. & in Loco Ulter. Protocolli sub præs. de 6. April. ej.a. confessionem flumen vetus, pontem veterem, & viam veterem publicam evanescere, movere, pristinas uligines juxta lacus Werbel & Denau positas arena ante viginti & quod excurrit annos replere inceperint, & in postea in illis ædificia posuerint, id quod tamen propriâ autoritate, & sine consensu eorum, quorum intererat, factum est, & vel ex eô fieri non debuisset, quod non saltem rei & reconveniendo Actores constanter asserant, in supra dictis uliginibus, vernô tempore lupos vel lucios fuisse captos, saccos ibi fuisse immissos, imò accrescente aqua retibus piscatum esse, sed etiam documenta sub signo ♂ & ☿ in scripto reorum & reconveniendo actorum de die 25. Junii 1706. hosce lacus feudales & in feudum Magdeburgicum utriusque sexus concessos esse, expresse doceant, omnes autem in præjudicium & damnum feudi novationes & mutationes sine prævio Serenissimi Domini directi consensu ipsô jure prohibitæ sint, & si tamen fiant, in Jure feudali pro nullis, invalidis & pœnam merentibus censeantur. Actores igitur male hôc in passu fecisse, in aprico positum est, quare condemnantur, ut propriis sumptibus vetus flumen, veterem pontem, viam publicam antiquam, in pristinum statum, reductis omnibus mutationibus

nibus & remotis impedimentis fluminis, & deletis, quæ in præjudicium piscaturæ & lacuum hinc & illinc factæ sunt, fossis, ex nunc restituant, non minus loca, ubi antea sabulum, & glaream immiserant, iis exonerent & exarenent, aut in casum inobedientiæ, vel etiam si præter spem hæc præstatio impossibilis foret, Regiæ Cameræ feudali, & aliis, quorum interest ad præstationem Interesse teneantur, in quem finem, ac usque hoc factum, tam accurata designatio veterum terminorum intuitu octo jugerum Jesavienſium propè Lindam, ita tamen ut interea possessio vel quasi horum 8. jugerum, reis farta tectaque sit, juxta adjunctum sub G. quod actores circa Loco Protocolli ad Acta Commissorialia obtulêre, quam plenaria Inquisitio & cognitio, an actorum & reconveniendo reorum sepes eô loco, ubi ante incendium eorum domus braxatoria constitit, nec non litigiosa pars horti, item loci, ubi fœnum colligitur, pariter actorum principalium fœnile in fundo & intra limites reorum, novum illud opus autem vel illud Actorum ædificium, (cujus continuatio ad instantiam reorum & reconveniendo actorum inhibita fuit) ut & novum diversorium actorum principalium in fundo feudali ad utrumque lacum Wirbel & Denau pertinente, ab Actoribus principalibus arenâ & glareâ expleto, consistant, propitio jure reservatur & pro nunc differtur.

Quod porrò ad piscaturam in lacubus Wirbel & Denau attinet, pariter ex Privilegio primordiali de Anno

Anno 1491. Loco Protoc. Actorum de die 25. Februar. 1706. sub F. adjuncto patescit, quod quidem piscatura in modo adductis ambobus lacubus, & in fossa propè cauponam & in aquis, quæ ex rivo Sckating, Rœsselam versus fluunt, primo acquirenti Johanni Langerbeinio ipsiusque heredibus & descendentibus concessa sit, sine præjudicio tamen & damno Gratiosissimi Conferentis, & ut acquirens saltem reticulis & instrumentis parvioribus ad mensæ sustentationem, non verò ad ulteriorem venditionem piscaretur. Actores quidem per documentum sub Lit. G. in paulò ante dicto Loco Prot. docere annisi sunt, Secretario Sadorski hos lacus Wirbel & Denau, & per consequens etiam piscaturam in ipsis, ab Ottone Friderico de Grœben, Capitaneo Schackensi Anno 1619. cum reservatione tamen Juris compiscandi reverà concessisse: sed verò nec in allegato adjuncto sub G. de ullâ unquam traditione horum lacuum quicquam proditum est, imò contrarium potius exinde elucescit, quod ibi saltem de jure piscandi reservato, (ne forsan tractu temporis illa ab Ottone de Grœben, Secretario Sadorski pro usu ministri vel Diaconi ad Mariam Lindensem concessa tantummodo piscatura, cum impositione saccorum, in Concedentis exclusionem à jure piscandi extenderetur) mentio fiat. Nec etiam illi Ottoni de Grœben permissum erat hosce lacus, vel piscaturam eorum cuipiam alteri concedere, quod hi lacus juxta documenta sub signo Martis & Mercurii in scripto reorum & reconveniendo acto-

rum

rum de die 25. Junii 1706. bona feudalia sint, & quod in tabulis primordialibus de Anno 1491. quarum hactenus mentio sæpè facta est, ipsi Johanni Langerbeinio, tanquam primo acquirenti & descendentibus ejus nil nisi piscatura cum instrumentis parvis & hæc etiam ad unigenam mensæ suæ sustentationem cum expressâ venditionis prohibitione, concessa & largita sit. Quemadmodum ergo ex concessione Ottonis de Grœben factâ Secretario Sadorski Anno 1617. die 28. Februar. secundum tenorem memorati documenti sub signo D in lacubus Wirbel & Denau, (excepto tamen rivulo,) nihil amplius quam piscatura cum impositione saccorum, & quidem adsustentationem sacerdotis sacelli data est, ita prædicto de Grœben contra apertam Privilegii literam; in quà nullus alius præter primum acquirentem & ipsius hæredes & descendentes jus piscandi in lacubus Denau & Wirbel certô modo ad mensæ propriæ sustentationem adeptus est, nunquam jus competiit, hoc speciale privilegium, quod à summo Principe nactus est, ad alios proprio motu, hàc vel illâ ratione transferre, & ita illos hujus privilegii, cujus expressa verba omnia illa, quæ unquam pro exceptione à bonæ fidei possessore allegari possent, penitus excludunt, participes reddere. Hæc itaque concessio nullô jure valere potest, sed jus illud lacuum Wirbel & Denau, & piscaturæ, sacello Lindano planè per sententiam adimitur, nisi fortè Sacra Regia Majestas admissum hoc de Anno 1617. ob diuturnitatem temporis ex gratia ratihabere, neglectam

Sere-

Serenissimi approbationem condonare, atque ex speciali Regia liberalitate & clementiâ declarare velit, se piscaturam cum impositione saccorum in lacubus Wirbel & Denau (exceptô rivô) quemadmodum illa anno 1617. determinata fuit, ministro vel sacerdoti sacelli Lindani ad propriam sustentationem, & non ultrà clementissimè concedere: Insimul autem Rei jubentur consensum Serenissimi pari modo ac alii vasalli ratione horum lacuuum & ratione juris piscandi in iis cum pertinentiis, utpotè cujus in scripto eorum sub signo ⊙ jam mentio facta est, debitè coram Camera Regia feudali Prutenica producere, ac speciales investituræ literas desuper petere.

Quantum denique cauponam & Jus cauponæ vel vendendæ cerevisiæ ad Lindam Marianam attinet, ex Literis primordialibus de Anno 1491. sub Lit. F. in loco Protocolli Actoreæ partis, pariter elucescit, quod in illis primo acquirenti Johanni Langerbeinio non solum caupona ad sacellum Lindanum Præfecturæ Rastenburgensis, sed etiam hoc jus singulare concessum sit, ut nemini liceat cujuscunque generis cerevisiam, feriatis vel aliis etiam diebus sine ipsius consensu & voluntate vendere. Quando igitur ex postfacto Capitaneus Schakensis Otto de Grœben cauponam & Jus cauponæ, Regio Secretario Polonico Stephano Sadorski eô modô, quo primordialiter apud sacellum Lindanum fuerat, Anno 1619. teste contractu sub Lit. G. reverà concessit & tradidit, id circo tali contractui ex eô, quod dictâ caupona in Literis primordialibus de A. 1491. Jure

Cul-

Culmensi censeatur & per consequens alienabilis sit, inhærendum esset, si res ista in statu illo permansisset. Quia verò postea Actores & reconveniendo Rei non diffiteri potuerunt, se cauponam hanc, post incendium, ex præfectura Rastenburgensi, ad quam tamen primordialiter anno 1491. restricta est, in Capitaneatum Schestensem transportasse: Ideo facta hac pro lubitu translocatione, quæ sine expresso Serenissimi consensu nulli privato concessa est, sed speciale Privilegium exposcit, malè egerunt, & hâc de causâ in Præfectura Schestensi, quod ibi sacellum Lindanum nullum cauponæ instituendæ privilegium habeat, factô suo illicito per ædificationem cauponæ, neque jus cauponam exercendi acquirere, neque illud, quod ante in Præfectura Rastenburgensi apud sacellum Lindanum habuerunt, diutius retinere potuerunt, sed illud sine omni contradictione exinde perdiderunt, quod talis pro lubitu facta translocatio apertum privilegii abusum involvat. Quapropter neque Præfecturæ Rastenburgensi, ne cerevisiam in præfectura coctam adportet, & vendat, neque reis de Jure defendere possunt, ne Sacram Regiam Majestatem adeant, & privilegium exercendi cauponam in bonis feudalibus Jesaviensibus humillimè expetant, idque vel ex hâc saltem ratione, quod nunquam dici vel fingi possit, nisi in specie hoc ipsum privilegio insertum fuerit, Serenissimum concedentem in privilegiis super cauponis & Jure eorum, hisque similibus, tam intuitu sui ipsius, quam

Poste-

Posterorum Juri de concessione aliorum desuper privilegiorum renunciasse. Conceditur ergo non solum Præfecturæ Rastenburgensi tam diu licentia vendendi in territorio sacelli Lindani, sine omni impedimento & prohibitione cerevisiam in Præfectura paratam, quam diu nempe S. R. Majestas cauponam ibidem exstruere non jubeat, & quam diu illud Præfecturæ proficuum esse potuerit, sed eo ipso etiam reis permittitur, terris suis Jesaviensibus à S. R. Majestate speciale Jus cauponam propè sacellum Lindanum exercendi humillimè expetere, præcipuè cum Actores in actis invitis labiis confessi sint, quod Rei apud sacellum Lindanum hactenus & à 30. retrò annis cerevisiam Jesaviô coctam vendiderint. Actoribus verò hoc ipso injungitur, ut illud paucos ante annos in Præfectura Sehestensi pro lubitu exstructum diversorium & jus cerevisiam ibidem vendendi, ex continenti tollant, & in totum evertant, nisi S. R. Majestas, Dominus noster Clementissimus ex speciali gratia declaraverit, se abusum privilegii in translocatione cauponæ sacello Lindano ex singulari gratiâ, quæ hôc in casu unicè pro fundamento ponenda est, condonare & permittere velle, ut caupona Lindana Præfecturæ Rastenburgensis juxta literas primordiales de Anno 1491. eô loco, quo ante incendium sita fuit, datô desuper novo Privilegio, de novô ædificetur. Cameræ Regiæ Domaniali insuper contra reos jus salvum, ratione istius cerevisiæ Jesaviensis, quam sine

 privi-

privilegio cauponam exercendi, in territorio Lindano hactenus vendiderunt, nec non ratione oneris vel juris obturamentorum in germanico idiomate vulgò Zapfen=Geld dicti per expressum remanet. In posterum tamen tam actores, quam rei prohibentur, diebus solis & festis, imô & aliis, in utilitatem extraneorum, vel pro commodiori cerevisiæ, panis & similium venditione pro vel sine vectigali, tabernas exstruere, ex eô, quod sacellum Lindanum à S. R. Majestate nunquam privilegium nundinarum obtinuerit. Utraque pars litigantium porrò ab omnibus accusationibus, attentatis, pœnis contraventionum ex Rescriptis, ex eô, quod petitiones mutuæ fundamento careant, penitus liberatur.

Quando de cœtero ex sæpe allegatis Literis Primordialibus de Anno 1491. sub Lit. F. in Locô Protocolli actorum luculentissimè adparet, ab Ordine Teutonico, tunc temporis Domino hujus Regionis, Johanni Langerbeinio non sacellum quoddam, vel Jus sacerdotem ibi constituendi, sed unicè Jus cauponæ prope sacellum hunc in modum concessum esse, ut ipse Ordo Teutonicus sacerdotem in sacello isto habeat, cui annuatim bona marca à possessore cauponæ exsolveretur, aut si sacerdos sacellum non possederit, illud vectigal Commendatori Ordinis Rastenburgico pendatur. Ideo pro circumstantiis hujus causæ neque Capitaneo Schakensi Ottoni de Grœben licuit, anno 1617. secundum teno-

rem

rem adjuncti sub ℈ apud reorum productum, & adjuncti Lit. G. de anno 1619. in actorum Loco Protocolli Secretario Regis Poloniæ Sadorski, neque huic liberum & integrum fuit anno 1626. die 28. Januar. secundum tenorem extractus putativæ mortis causa donationis, in actorum Loco ulterioris Protocolli sub Lit Q. Collelegio Jesuitarum Rösselensi, postea autem anno 1636. d. 7. Octobr. tenore adjuncti sub L. in Loco Protocolli actorum, Capitulo Warmiensi, locum supra nominati sacelli vel sacellum ipsum (ratione enim hujus nullum ipsis Jus unquam competiit) cedere, & in illos transferre, sed hæc omnia, tanquam à non Dominis nulliter facta sunt, quod sacellum Lindanum tenore Litterarum primordialium, Ordini Teutonico, tanquam Domino Prussiæ sartum tectumque manserit, & ab eô cum omni jure ad sequentes Prussiæ Dominos venerit, ita ut nemo alius, quicunque etiam is fuerit, jus & potestatem habuerit, quicquam tam ratione hujus sacelli, & ibidem constituendi sacerdotis, vel ratione cultus divini, vel quoque ratione ædium, statuendi, multò minus sacellum ipsum alienandi. Et quamvis actores intuitu traditionis sacelli à Secretario Sadorski Capitulo Warmiensi factæ, confirmationem Regiminis Prutenici in Lit. L. & porro à Capitaneatu Rastenburgensi die 18. Maji 1637. immissionem sub signo duplicis Crucis dicussatæ (quæ tamen non à Capitaneo ipso tum temporis, sed saltem à certo quodâm Simone Hagenau, incertum planè

 cujus

cujus jussu & autoritate facta esse, deprehenditur) suo Loco Protocolli annectere satagerint nihilominus ista documenta nullo verò & non suspecto originali confirmantur, & præterea in specie illud de anno 1636. saltem à quibusdam Consiliariis Regiminis, non verò à summâ summi Domini Prussiæ manu subscriptum legitur, alterum verò per specialia privilegia, quorum mentionem injicit, tanquam relatum suum plane non corroboratum reperitur, & de cœtero non ad sacellum ipsum spectat, sed saltem mansos & agros Lindanos afficit, aut quemadmodum in exemplari latino invenitur, ad bona nuncupata Lindensia restringitur. Ex his ergo rationibus sacellum Lindanum Anno 1639. die 8. August. in actores de jure transferri non potuit, nec ab his in sequentibus annis loco simplicis sacelli, in quo tenore literatum primordialium ex sacerdotibus Ordinis Teutonici Mariani unicus saltem sacra administravit, templum adeò latè patens cum speciali collegio & aliis adjacentibus ædibus sine consensu Serenissimi Prussiæ Domini in altum surgere debuit, multo minus actores, juxta allegata Intervenientium, destinatas ecclesiæ Beslackensi decimas, Jura stolæ, & Parochialia jamjam anhelare possunt.

Cum verò hæc omnia sæpe adductis literis primordialibus apertè contradicant, poterit equidem immissio & traditio cauponæ & agrorum Lindensium, quæ à Regio Polonico Secretario Sadorski Capitulo Warmiensi Anno 1637. peracta est, salva permanere, ita tamen

ut

ut originale Recessus Immissionis debitè producatur, & hac traditione supremo Juri territoriali, S. R. Majestatis Prussiæ, Domini nostri Clementissimi, tam ratione onerum præstandorum, quam alibi, nullo modo derogetur, & ut ex caupona sacerdoti, quem S. R. Majestas pro futuro, sacello præesse jusserit, illa in literis primordialibus constituta bona marca monetæ Prussicæ, & quidem juxta illum valorem, quem tenore vetustorum documentorum anno 1491. inter monetas Prussicas obtinuit, annuatim die Martini solvatur, aut Præfecturæ Rastenburgensi pendatur, neque Jurisdictio ultra minora judicia super ictibus & verberibus tenore literarum primordialium extendatur, sacellum autem ipsum tam ratione magnitudinis & qualitatis ædium & institutionis sacri cultus, ac vocationis sacerdotis eum in modum, quo Ordo Teutonicus illum ibidem instituit, quàm ratione adornationis Jurium Stolæ & Parochialium, cœmiterii ad sepulturam pauperum Lindensium, item ratione Decimarum & reliquorum pertinentium S. R. Majestati, ad quam omne Jus Ordinis Teutonici in summa perfectione devolutum, vi Jurisdictionis supereminentis, & Episcopalis summæ, sartum tectum sit & maneat. Unde actores & reconveniendo rei sacellum Lindense sacerdoti, cui S. R. Majestas munus istud gratiosissimè collatura est, reliqua ædificia verò cum omnibus pertinentiis S. R. Majestatati ad liberrimam dispositionem & usum spiritualem relinquere debent. Expensæ litis ex sonticis causis utrinque compensantur. Publ. die 17. Octobr. Anno 1708.

B.

B.

P. P.

DOminis Commissariis hisce intimare voluimus, quod in causa appellationis Patrum Jesuitarum Rösselensium & ita dictæ S. Lindanæ Marianæ appellantium ab unâ, contra Ottonem Fridericum, Henricum Wilhelmum & Albertum Sigismundum, fratres de Grœben, respective Tribunum, Consiliarium terrestrem, & vice Tribunum, appellatorum ab alterâ, partibus, nec non Mag. Friderici Seuberlichii, Archipresbyteri Rastenburgensis & Pastoris Beslackensis, Intervenientium, attentata & alia secundum tenorem actorum concernentia, decrevimus, quemadmodum etiam post sufficientem explorationem actorum hoc ipso decernimus, quod appellationes quoad formalia constantissimæ sint, quam ob rem causa etiam ad Judicium Aulicum devoluta: Quoad materialia verò secundum circumstantias hujus causæ benè pronunciatum est. Id circo remittimus &c. Regiomonti d. 1. Decembr. 1711.

ad

Fabianum de Knobelsdorff,
Tribunum & Capitaneum,
Doct. *Carol. Fridericum Lau*,
Christophorum de Eldit,
&
Fridericum Wilhelmum Ovander,
Scabinatus Magistrum.



):(o):(